Guilelmus <Avernus>: De fide et legibus

[Augsburg: Günther Zainer], [ca. 1476] Seite 246



quia omnibus signis conuenientius est ablutio exterior in aqua facta: et causas in hoc dedimus. Vnde nullo modo approbanda est consuetudo nubiorum: qui signo crucis per vstionem faciebus suis pro baptismali ablutione imponunt · existimantes se per hoc in igne sancti spiritus baptisari. In quo et diuine auctoritati et euangelice veritati apostoliceque traditionem euidentissime contradicunt. Adinuenire etiam talia est ecclesiam dei scindere · quoniam necesse est exterius vnitate signorum sacramentalium esse conformem. sicut interius est vna · non difformis neque dissimilis gratie vnitate. E Quod si dixerit quis: quia multa varietas multaque diuersitas inuenitur in ecclesia dei: quia alij coniugati · alij continentes in ea inueniuntur? Et iterum tot diuersorum ordinum varietates · et nouorum et veterum. Respondemus: quia in eis que sunt de substantia et varietate religionis nulla est dissimilitudo nulla discrepantia. et ex eadem sinceritate vere religionis procedit tota ista varietas · sicut patet in vno et eodem homine: qui ex eodem timore et amore dei nunc peregrinatur · nunc pascit pauperes · nunc sacco induitur seu cilicio: nunc sericis: nunc cantat coram domino: nunc plorat coram eodem: sic eisdem fide · spe · et caritate: et ex eadem prorsus in terna et vera religione procedit ista varietas pulcritudinis: nec intendunt serui dei cum transferunt se a seculari conuersatione ad religionem minus esse vel omnino non fieri Xpiani · ymo velut securius velut liberius vel vt magis sint et sublimius Xpiani · nec intendunt cultum dei in se minuere sed augere · et a contaminatione peccati et ab admixtione secularitatis totaliter segregari: quemadmodum dixit sanctus ac sapiens Augu · Quoniam in via dei alius sic · alius sic ibat · quemadmodum per eandem viam: alius pedes: alius eques: alius ornatus: alius exornatus: et iterum alius cum paucis: alius cum comitatu plurimum incedit: sic per eandem viam verissime ac sincerissime religionis ambulant omnium ordinum veri professores ac seruatores.

¶ Quod solus baptismus est ianua ingressus ad salutem. ¶ Ca. II

Iam ergo declarauimus tibi quia communis debet esse iniciatio et sanctificatio. A Quam requirit inquinatio seu contaminatio generis humani · quemadmodum ipsa sanctitas que per eam intenditur et queritur et obtinetur / et vna est et indiuisa et communis omnibus. Et quia signum quod huiusmodi sanctificationi adhibendum est · debet esse conuenientius omnibus: et quia debet esse vnum non diuersatum: propter periculum scissurarum et aliorum malorum que supra nominauimus. Patefecimus etiam tibi de signo isto: et de his que adhibentur

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-442/0245
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG